



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

es sapientia. Tu aperis cor meum, quia aperuisti librum signatum, quem nullus ante aperire potuit, Misericordia tua plena est terra. *Apos. 5.* Quicquid usquam est, è tua misericordia, imò tua misericordia est. Aperis tuam manum tuam, & imple mare, & terram, & celum, & omnia benedictione. Rogo & ego Domine unam à te misericordiam, Iustificationes tuas doce me. Omnibus rebus id tribuis, quod ad statum, & perfectionem earum pertinet; doce & me iustificationes tuas, ut & ego implear in omnem plenitudinem tuam.

☩ Teth, id est, Bonum

*Octonarius Nonus.*

65 **B**onitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.

66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

68 Bonus est tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

69 Mul-

69 Multiplicata est super me iniquitas  
superborum: ego autem in toto cor-  
de meo scrutabor mandata tua.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eo-  
rum: ego verò legem tuam medita-  
tus sum.

71 Bonum mihi, quia humiliasti me: vt  
discam iustificationes tuas.

72 Bonum mihi lex oris tui, super mil-  
lia auri, & argenti.

65 Bonitatem fecisti cum seruo tuo Do-  
mine, secundùm verbum tuum.

**Q**uid ni bonitatem faciat, qui totus  
bonus, imò ipsa bonitas est? Proprium  
est illi bonitatem facere, sicut & verè bo-  
num esse. Hanc bonitatem, quia vnica vo-  
ce, vel vnica sententia promere non po-  
test, variis Scriptura vocibus, & proprie-  
tatibus quasi per partes delineat, nec ex-  
primit, sed adumbrat. Nunc bonitatem,  
vt hic, & alibi frequentissimè. Nunc be-  
nedictionem, vt ibi. Implet omne animal  
benedictione. Nunc misericordiam. Mi-  
sericordia Domini plena est terra. Nunc  
dilectionem, nunc indulgentiã, vt apud  
Isaiam. In dilectione sua, & indulgentia  
sua ipse redemit eos. Nunc clementiam,  
vt quoniam clementissimus est, de eo po-  
tius, quam de rege quocunque dictum ac-  
cipiamus à Sapiente. In hilaritate vultus  
Re-

Benigni-  
tatis di-  
uinae no-  
mina.

*Psal* 144.

*Psal* 32.

*Isai* 63.

*Prou* 16.